



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LVIII. De Translatione Civitatis Colmensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. LVII.

*De**Expugnatione cuiusdam castri & de
castro Christburg.*

Hic frater Henricus Magister postquam instructus fuisset à Fratribus, quot mala Svvantepolcus & sui complices Neophyti Apostatae terræ Pruschiæ fidei & fidelibus intulissent, incipit toto cordis desiderio ad ipsorum destructionem & exaltationem fidei laborare. Congregatis ergo fratribus & peregrinis, profectus est ad bellum, & in vigilia Nativitatis Dominicæ noctis medio quiescentibus hominibus venit ad castrum Pomeranorum, quod situm tunc fuit in loco, qui nunc dicitur Christburg antiquum, & applicatis scalis ad moenia occulte intraverunt, captisque & occisis omnibus expugnaverunt, ponentes ibi fratres & armigeros multos pro custodia dicti castri. Hujus etiam nomen quia in ipsa nocte Nativitatis Christi fuit à fidelibus expugnatum, vocatum est Christburg, quod interpretatur castrum Christi, quod vocatum est ab Angelo testimenti priusquam in mente Magistri aut aliorum fratrum concipetur.

CAP. LVIII.

*De**Translatione Civitatis Colmensis.*

Hoc tempore nobilis ille & illustris Princeps (a) de Antlat cum multa militia venit ad terram Pruschiæ, & præter multa bona, quæ ibidem gessit ad corroborationem fidei & fideliū Civitatem Colmensem de castro antiquo (b) transtulit ad

cli-

Conradus Landgr. Thur. V. Mag. generalis. Ord. Tent.

Henricus de Wida III. Magister Provincialis Prusiae.

clivum montis, in quo nunc sita est, per quam translationem
terra Colmensis salvata fuit.

ANIMADVERSIONES.

AD CAP. LVIII.

- (a) Chron. Germ. antiquum in formâ quartâ habet Anclant. Jeroschinius legit Alnardi.
- (b) Grunovius hanc translationem adscribit Eberhardo de Seyne quem cum plena Magistri potestate hic in Prussiam ut Visitatorem fuisse missum refert. Perperam autem translationem hanc An. 1254. contigisse Privilegiumque Culmense post eam translationem renovatum esse refert. Cum Privilegium illud Culmense Anno 1233. datum & An. 1251. renovatum esse constet. Habetur hujus privilegii ab Eberhardo de Seyne An. 1251. renovati autographum exemplar latino sermone scriptum in tabulario Thoruniensi, quod simul cum aliis Terrarum Prussiæ Privilegiis, Cracoviæ in comitiis Coronationis Serenissimi Regis Joannis III. à Statibus Prussiæ productum est. Vidi & ego hoc ipsum Privilegium Culmense in dultu Magnifici Magistratus Urbis Thoruniensis. Est illud in membrana charactere satis eleganti scriptum. Habet duo sigilla funiculis suspensa. A dextrâ appendit sigillum Vices-gerens Magistri generalis per Germaniam, cuius forma est hæc: Expressa est B. Virgo puerulum J E S U M in sinistro gestans brachio, dextrâ verò manu sceptrum tenens. Epigraphe est. S. P R A E C E P T O R I S A L E M A N N I Æ. A Sinistrâ appendit sigillum sine dubio Provisor Prussiæ sive Magister Prussiæ Provincialis. Distinctè enim hoc dignoscere non potest, cum illud sigillum jam sit vetustate corruptum. Ad verbum autem convenit cum eò, quod in Juribus Municipalibus Prussiæ Regiæ, ut & Privilegiis Prussiæ Ducalis typis est impressum. Germanicum Privilegii Culmensis renovati exemplar satis antiquum, habetur etiam in Bibliotheca Vindibonensi, ab ipso forsan Magistro Prussiæ Imperatori illo tempore transmissum. Initium ejus & finem exhibet nobis Petrus Lambecius lib. 3. Bibl. Vind. bon. cap. 8. fol. 833.

CAP.

